

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICA**  
**DE**  
**ATROPHIA INFANTUM,**  
**QUAM**  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**MAGNIFICI DOMINI**  
**PRAESIDIS AC DIRECTORIS,**  
**SPECTABILIS DOMINI DECANI,**  
**NEC NON CLARISSIMORUM**  
**D. D. PROFESSORUM,**  
**PRO**  
**GRADU DOCTORIS MEDICINAE**  
**RITE CONSEQUENDO**  
**IN ALMA AC CELEBERRIMA**  
**R. S. UNIVERSITATE HUNGARICA**  
**CONSCRIPSIT**  
**IGNATIUS KOLLINSKY**  
**HUNGARUS BUDENSIS.**

---

**Theses adnexae publice defendentur in Palatio R. Sc.**  
**Univers. majori die mens. Aug. 1835:**

---

**PESTINI.**  
**TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.**

SEINEM  
HOCHGESCHÄTZTEN ONKEL  
H E R R N  
FRANZ KOLLINSKY

DANKBARST UND ACHTUNGSVOLL  
GEWIDMET

VOM

VERFASSER.

---

## Definitio et Synonyma.

**A**trophia (ex  $\alpha$  priv. et τροφή nutritio) i. e. nutritio deficiens s. consumptio infantum, est morbus reproductionis chronicus, cachecticus, ex abnormi vasorum glandularumque lymphaticarum praecipue mesaraicarum organisatione et atonia emergens, nutritionem turbans, impediens, accedente ut plurimum glandularum mesaraicarum statu subinflammatorio. Morbus hic denominationem Atrophiae omnino ad praefertentiam meretur, quia imaginem genuinam organismi ex aberrante chylicatione, summo hoc ulterius assimilationis et nutritionis fonte languentis ac lentis passibus gradatim perentis nobis exhibet. Recte porro infantilis vocatur, quia aetate junioribus individuis ab anno nimirum 1-mo usque 7-mum et 14-tum tristi quadam praerogativa, licet non exclusive, proprius quodammodo est, illisque simul scrophulosa labe mulctatis. Sub ultimo hoc respectu, Atrophia de qua agimus, scrophuloseos tantum forma exquisitior est in systema glandularum vasorumque lymphaticorum abdomi-

naliū peculiari cum atrocitate conversae, un-  
 do scrophulosa dicitur, et apud plures au-  
 ctōres sub scrophulis pertractatur. Paeda-  
 trophia ejusdem cum Atrophia infantum est si-  
 gnificationis. Aliae expressiones plus minus  
 congruae sunt: Atrophia, Phthisis, Rha-  
 chialgia mesenterica; Mesenteritis  
 chronica; Tabes abdominalis; Ma-  
 rasmus, Tabes strumosa (Mason Good)  
 Germanice; die Gefrösefchwindsucht, Darrsucht,  
 Abzehrung, das Abnehmen der Kinder. Hungaris:  
 Gyermek Aszalvány.

### Imago morbi.

Ex functionibus organicis illae tubi intesti-  
 nalis primae laeduntur. Anorexia rarius adest,  
 plerumque contra voracitas; panem crudiorē,  
 tubera solani, pastas grossas et tenaces, legu-  
 mina, cibos acidos multove sale conditos con-  
 stanter appetunt — juscula vero bona, olera,  
 legumina recentia, inprimis vero carnes respu-  
 unt nauseantque. Huic fami semper associa-  
 tur sitis magna in aquam vel cerevisiam dire-  
 cta, ita ut potum ingentem assumere valeant,  
 cujus tamen cupido cum morbo semper incre-  
 scit. Halitus oris foetens, alliaceus, acidus; sub-  
 inde tussis adest Vomitus haud infrequens. Ir-  
 regularitas excretionis alvinae, modo diarrhoea

cum evacuatione uberiore materiae mucosae acidae, saepe valde foetentis, modo constipatio, postquam secedunt excrementa grisescentia, argillacea, scybalosa, secus etiam normalis consistentiae. Urina tenuis, vel turbida jumentosa, aliaque vermium symptomata, qui non raro, praesertim ascarides lumbricoides post adhibita anthelmintica deponuntur. Tumet abdomen, sed ab initio adhuc mollius, pastosum, successive indurescens. Infantes tales, antea laeti et formosi, jam iracundi, morosi, tristes, aut indifferentes languidique evadunt, somniis terrentur, cum facie pallida et ab exordio inflata. Motum, si quem exercere jam didicerant, intermittunt, portarique desiderant, aut continuo sedent, vel jacent.

Atrophiam perfecte evolutam sequentia designant. Jam physiognomia totius corporis. Abdomen volumine auctum, tensum, fere lapideam acquirit duritiem, ut glandulae mesaraicae tumidae, qua corpora diversae extensionis; (nisi intestina aëre infarcta hoc impediunt) ab explorantis manu tangi possint, (signum vere pathognomicum) umbilico, ut apud gravidas, protruso. Reliquum autem corpus emaciatur, exsiccatur, ac senescit. Pectus inprimis contraria abdominis ratione, fit arctum, acuminatum, idque pro parte ab impedita sua evolutione per

nimiam abdominis ejusque viscerum expansionem. Extremitates cute flaccida et corrugata adhuc vestiuntur, quae pergamenae adinstar exsiccata, ossibus adcreta videtur, coloris impure flavi, grisei, quasi terrestri, pinguedine omni et fere ipsa substantia musculari dissipata. A debilitate summa etiam paralysis pedum exoritur, licet et haec tantum a pressione viscerum abdominalium glandularumque in vasa ac nervos provenire possit. Facies aspectum offert decrepitem, senilem, serium — oculi profunde orbitis insculpti, genae applanatae, plumbei fere coloris, nasus praehumidus semper magis magisque acuminatur, lineamenta faciei sunt quasi praematuri intellectus vestigiis notata; dum reapse in ejusmodi individuis facultates mentales praecocius et fortius manifestari solent, licet et contrarium in aliis obtineat. Praeter hanc funestam corporis configurationem adsunt a glandularum sebacearum cutis adaucta secretionem comedones sic dicti. Nonnunquam una occurrunt diversae scrophuloseae manifestationes, uti: tumores glandularum cervicalium, axillarum, inguinalium, blepharophthalmia et blepharoblennorrhoea, impetigines capitis aliarumque partium, excoriationes devastantes circa os, nares et aures, harumque fluxus, quae tamen et omnia abesse etiam possunt. Praeter supra memorata symptomata functionum

tubi intestinalis, aliarumque consensualiter turbatarum, praeter dolores in diversis ventris regionibus, praecipue in ejus medio, ubi glandularum sedes est, dum inflammantur, febris hectica serius acutus, ominosus hujus infirmitatis comes, evadit. Accedunt non raro inflammationes diversorum viscerum, cavo abdominis, pectoris, vel cranii inclusorum, imprimis phthisis tuberculosa pulmonum. Etiam icterus cum elatione hypochondrii dextri observatus est. Tandem libenter anasarca vel ascites se insinuant, et sub colliquationis phaenomenis facies Hippocratica, mortem praenuntians.

### **Duratio, decursus atrophiae et febris hecticae descriptio.**

Morbus noster utique longam amat durationem, per menses, annosque extensam, sed ubi in infantibus mox post nativitatem comparet, deleterium suum curriculum rapide absolvit. Quoad evolutionem autem successivam symptomatum, haec in genere semper intensitate, sed non determinatis intervallis crescentia videmus, neque distincto quodam transitu insignita, ita ut aliqua phaenomena passim sileant, passim recurrant variis sub modificationibus — quapropter, ut in morbis chronicis fieri solet, sta-

dia adeo limitata nec animadverti possunt, nec fixari, et hoc respectu tantum incipientis et perfecte evolutae cachexiae hujus imaginem delineare tentavi. Interea febris hecticae accessum, juxta celeb. viri auctoritatem, momentum sat grave habendo, dum per illam morbus ex topico quasi universalis fit, optime tria assumuntur stadia, quorum primum prodroma et initium morbi usque febris hecticae manifestationem; secundum febris hujus progressum; tertium autem finem sub stadii colliquativi nomine comprehendit. Phaenomenorum prius expositorum series facile ad haec stadia referi et applicari poterit; hac occasione tamen haud incongruum esse existimo, hujus febris descriptionem tradere.

Insensibiliter oritur, ut nec aeger, nec medicus eam statim percipiant. Ejus typus ab initio intermittens est, tertianam duplicem referens, sub incremento morbi evadit continua, cum exacerbatione quotidie duplici, altera postmeridiana, vespertina altera, quarum illa mitior est, et ab exordio sola occurrit. Exacerbatio inchoat cum horripilatione aut sensatione frigoris in spina dorsi; nasus atque extremitates pallescunt. Frigus diversae intensitatis, per horam, aut longe brevius tempus durat. Sequitur ca-



lor plerumque moderatus, et nullam cum pulsuum frequentia rationem tenens, qui reapse frigore et calore omnino moderatissimis, apud infantes ad 150, et feбри jam adulta, ad 200 ictus ascendunt. Durante calore adest rubor circumscriptus genarum, rubor labiorum et carunculae lacrymalis, ardor volae manus et plantae pedis, praecipue post sumtum cibum. Cutis, lingua et labia exarescunt, ita quidem, ut sitis magna, insolita nocturnis horis primum saepe ingruentis febris hecticae signum sit, extra autem exacerbationis tempus parum sitiunt. Caeterum aeger, etiamsi cutis ejus ardeat, de frigore conqueritur, erga quod adeo sensilis est, ut minimo aëris tractu ipsum afflante, horrores accuset. Sub alteratione febrili urina parca seceritur, rubra, sedimentum album vel lateritium formans. Calorem excipit sudor cum morbi incremento semper abundantior, viscidior, praecipue corporis partes superiores invadit, frontem, capillitium, collum ac pectus; raro extremitates inferiores, excepta interna femorum facie. —

Quoad singulas exacerbationes notandum, quod in postmeridiana praeter horripilationem frigus sat exiguum, et serius plane inobservabile sit; calor autem siccus per quadrantem usque medium horae, sub progressu et fine morbi

per 2, 3 horas perduret. Exacerbatio vespertina frigus habet intensum per  $\frac{1}{2}$  horae imo integram perdurans, calor quoque per unam pluresve horas, serius usque mesonocetium perstat; tunc sequitur sudor et somnus inquietus, et mane defatigatio major. Quod sensus externos et internos spectat; vigent, imo exaltati sunt, usque extremos morbi dies.

Postquam febris hectica ita breviori, longiorive tempore progressa est, cum majoribus semper, imo fere continuis exacerbationibus, accedunt symptomata colliquationis, nimirum aphthae oris et tubi intestinalis, sudores profusi, et diarrhoea excessiva, urina pinguis, viribusque et corporis et mentis evanescentibus, delirata, facies hippocratica, et mors.

### Sectio cadaverum.

Glandulae mesaraicae induratae, nodosae, tuberculosae inveniebantur, a magnitudine pisi vel nucis avellanae, usque illam ovi columbini, imo gallinacei, eorumque tuberculorum alia materia flavescenti, lardacea vel caseosa, imo fere calcarea; alia ex toto vel pro parte humore spissiori gelatinoso aut puriformi repleta erant. Ubi vero infimus erat abnormitatis gradus, glan-

dulae quidem ingrossatae conspiciebantur, ita tamen, ut vasa lymphatica easdem diversis suis implicationibus constituentia, hydrargyri injectionibus solito magis adhuc paterent. Glandulae degeneratae interdum libram pondere aequant caetera viscera e situ eorum dispellere valentes. Sic Hecker describit casum infantis 7 annorum, ubi glandulae 6—8 fere totum abdominis cavum repleverant, sub quarum dissectione massa sebo perfecte similis effluxit. Simul mesenterium ac omentum pinguedine spoliata visebantur; membrana mucosa tubi intestinalis valde attenuata, nonnunquam inflammata, ulcerosa; hepar voluminosum, et structura degeneratum, vesicula fellea aequae major ac bile vel carens, vel eadem albida pravaeque indolis plena; lien praegrandis, friabilis; renes magni et flaccidi; et viscera haec diversa subinde tuberculis obsessa, quibus tamen frequentissime ipsi pulmones notantur.

## Aetiologia, et Nosogenia.

### Causae praedisponentes.

1. *Diathesis scrophulosa*, sive quod eadem parentes jam laboraverint, sive quod universi organismi debilitatem, tencritudinem ac laxitatem, aut peculiarem systema-

tis chyliferi atoniam misero infanti pro haereditate communicaverint, vel denique, quod idem jam ex utero materno tubercula mesenterii in mundum secum ferat, quae cum illis pulmonum simul tunc non raro occurrunt. Quin imo sunt auctores, qui praecipuum scrophuloseos criterium habent glandularum mesaraicarum tumorem.

2do Aetas junior, et quidem maxime annus 1mus usque 5tus, ab hoc etiam usque 14um. Hoc revera momentum summae est pro atrophiae origine significationis, dum priori vitae periodo organorum digestionis et chylificationis major adsit debilitas ac teneritudo, quae simul etiam scrophuloseos condiciones sunt. Ideo Atrophia apud adultos, quorum systema lymphaticum jam notabilius evolutum et ex cultum est, raro occurrit, et apud eos in specie, qui ex scrophulosa labe imperfecte reconvaluerant.

3io Sexus, juxta aliquos, femineus magis atrophiae obnoxius.

### Causae excitantes

hujus morbi omnes illae sunt, quae systematis lymphatici atoniam et abnormem vegeta-

tionem provocare, idque eo certius facere valent, quo majori in gradu diathesis scrophulosa adest. Iluc pertinent:

1. Cibi, potusque incongrui, e quidem prima aetate lac matris aut nutricis nimis pingue, nimis vetustum, acre, aut quomodocunque insalubre, sub cujus usu pusio continuo doloribus colicis, diarrhoea aut constipatione, vomitu, acido primarum viarum laborat. Quin imo solus lactis, secus optimi, usus immoderatus hoc efficit, ideo etiam illa matrum consuetudo prava, lactanti ubera per totam noctem relinquendi. Porro diversus lactationi substitutus alimentandi modus, praecipue si necessaria cura et mundities non adhibeatur. Transitus nimis repentinus a lacte materno ad nutrimenta majoris consistentiae. Annis proximis omnis cibus dyspeptus, crudus, statui tibi intestinalis non accomodatus, eundem debilitans, relaxans. Ideo abusus pultis farinaceae, pastarum grossarum, leguminum, inprimis solani tuberosi, aut panis recentis, crudioris, vel butyro obducti.

Potus calidi, ut coffeae, theae, aut ipsius vini largior administratio, in genere alimenta nimis aquosa, fatua, exsucca, vegetabilia exclusive assumpta; saepe solus excessus nutrimenti, secus optimi, et viceversa adminiculo-

rum vitae penuria, unde pauperum misera gens nimis saepe et aliis, et hac infirmitate corripitur.

2. **Immundities.** Aëris renovatio, lintheaminum commutatio intermissa, relictio infantis in his urina sordidis, cutis debita per lotiones et balnea cura neglecta, maxime autem immundities in negotio alimentationis. Per haec omnia partim multa, quae eliminanda essent, in corpore retinentur, partim secretio et resorptio cutis inhibentur, hujusque organisatio, praecipue vasorum lymphaticorum, debilitatur.

3. **Aëri impurus** — humidus, frigidus, multum variabilis, reclusus, exhalationibus animalibus impraegnatus. Propterea adeo hic morbus, ut scrophulae in genere, grassatur ac dominatur iterum in casis pauperum, in fabricis et manufacturis, brepho - ac orphanotrophiis, in sordidis populosarum urbium vicis; ideo in regionibus montosis, ubi arctae valles, et in regionibus ad mare sitis atrophica quasi endemica est; ideo vere atque autumno, propter nimiam atmosphaerae inconstantiam, plerumque incipit aut increscit.

4. **Motus neglectio.** Dum infantes nimis jacent, vel sedent, cubiculo detenti manent; e contra illi, qui frequentius sub dio

versantes, corpus alacriter movent, exercentque, nil melius agere possunt, ad evitandum, de quo tractamus, malum.

5. **Abusus pharmacorum**, praesertim illorum, quae iterum nocivum suum influxum peculiariter in systematis lymphatici vegetationem dirigunt. Talia sunt Mercurialia, et alia solventia, emetica et purgantia; insuper remedia illa, quae sensibilitatem, et per hujus medium vegetationem male afficiunt, unde narcotica, praecipue opium; spirituosa — ipsa adstringentia: China.

6. **Omnes status morborum**, qui in singulari nexu, atque correlatione cum systemate lymphatico, ac glanduloso versantur, et propterea scrophulosam diathesim adhuc delitescentem sat cito evolvere valent. Huc spectant febres gastricae, et intermittentes, tussis convulsiva, scarlatina, variolae, morbilli, syphilis; in genere omnes illi morbi, qui crisi- bus imperfectis, aut sic dictis metastasibus terminantur.

7. **Praematura sensibilitatis, atque irritabilitatis excitatio**, unde semper reproductio turbatur, ac facile a norma aberrat vegetatio. Huc referuntur: nimia mentis intentio, animi affectuum provocatio, regimen nimis calidum, alique hujus generis errores.

## Causa proxima.

Odor acidus evacuationum et atmosphaerae aegros circumdantis quondam opinioni ansam dedit, atrophiam derivandam esse ab acido primarum viarum et ipsorum corporis humorum. Quod acidum saltem primarum viarum apud infantes frequenter, et non tantum atrophicos, verum etiam rhachitide, aliisve infirmitatibus vexatos occurrat; spasmos, dolores etc. concitet, nemo est, qui negabit — sed facile ultro elucet, non esse, nisi sequelam status morborum alius principalis.

Atrophiae vera origo procul dubio in systemate lymphatico, et praecipue in glandulis mesaraicis radicitur, quod systema, ut jam prius dictum est, ex debilitate partim congenita, partim per nocivos influxus provocata, et aucta, munere suo perverse fungens, organisationis propriae et vegetationis successive majores abnormitates induit, turbatoque assimilationis opere, omnem restaurationem et reproductionem confundit impeditque.

Quod porro cadaverum sectio illustrat, glandulae ab initio haud imperviae, quin imo patentiores sunt, ex laxitate, ut videtur, et dilatatione vasorum, Serius tamen lympham ma-



gis magisque tenacior fit et prava et lente movenda, unde omnino magna ejus portio glandulas obstruit, in quarum parenchymate, et textu celluloso alia ex parte massae illae tuberculosae per exhalationem, ut putant, morbosam productae et successive ad magnitudinem et consistentiam sat considerabilem evectae, vel ita jam lymphae circulationem ulteriorem impediendo, vel, per accessum et auxilium inflammationis lentae ipsas glandulas infestantis, peculiari liquationis processui antea subjectae, sub phthiseos phaenomenis organismum destructioni tradunt.

## P r o g n o s i s

in genere in fausta assumenda. Curatio tamen sperari potest, ubi morbus adhuc incipiens, simplex, et remotio causarum possibilis est. Ubi vero morbus adultior, febris hectica intensior, glandularum degeneraciones notabiliores, earum lenta inflammatio, aliaeve, quae nimis saepe accidunt, phlogoses: tubi intestinalis mesenterii, omenti, hepatis, aliorumque abdominis viscerum, vel pectoris, vel ipsius encephali efformatae sunt; ubi complicatio cum rachitide, scorbuto, et graviori quacumque affectione adest, tunc artis conamina plerumque vana et in pluribus casibus, phthisi pulmonali aut

hydropo accedente, vel etiam absque his, sub colliquationibus mors sequitur.

Caeterum tubercula mesenterii minus periculosa, quam illa pulmonum, et sat diu subinde delitescunt, quin functionum concentum, et speciosum floridae sanitatis adspexit, habitumque tollant, quod utique tunc diagnoseos praebet difficultatem.

Revera mirandum, quantum autocratia naturae in corpore infantili vigentis, ejusque periodis evolutionis increscens potentia, quantum et ipsa ars in hoc morbo debellando polleat. Sic indurationes glandularum considerabiles, sub febris hectica influxibusque externis nocivis, nullo pharmaco adhibito, sponte resolutae feruntur; efficaciam artis et naturae autem simul ille casus a Tott memoratus confirmare valet, ubi jam ascites et phthisis pulmomalis una aderant, illoque radicis Caincae Chiococcae usu, et hac, dum vomica rupta, pus exteriora versus effunderetur, profligata, aeger infans sanitati restitutus est.

Tandem adnotare oportet, quod saepe, morbo etiam superato, debilitas remaneat, impeditum corporis incrementum, et dispositio ad morbos abdominales futuris vitae periodis.

## Cura diaetetica.

Omnium primum est regiminis coordinatio recta et executio. Maxima autem ejus necessitas jam illico adest, ubi scrophulosi habitus manifeste signa visuntur, aut ipsius atrophiae jam incipientis phaenomena prodeunt; tunc enim potentiarum inimicarum actionem, influxumque praepediendo, aliaque ex parte ipsius lymphatici systematis energiam, et normalem activitatem sat miti lenique modo restituendo, omninó curae prophylacticae et radicalis vices regimen agit, cujus fontes principales sunt, sequentes:

1. **Diaeta sana**, viribusque tubi intestinalis adaequata. Quousque infans adhuc ubera sugit, ipsa mater vel hanc supplens nutrix, justam debet et convenientem diaetam vitaeque ordinem sequi; hinc omnino ciba eupepto vesci, acido vero et flatulento, potibusque stimulantibus, ira, aliisque animi pathematibus exorbitantibus abstinere. — Infantes debiliores lacte humano nullo pacto carere possunt, robustioribus autem, urgente casu, etiam aliud substituere licet. — Ipsa lactatio non debet ultra certum terminum protrahi, donec nimirum organa digestionis sat roboris pro alio cibo capessendo habeant, tunc vegetabilis cum ani-

mali diaeta iungatur, huic tamen praeferentia est concedenda. Ab initio optime convenit panis bis coctus; qui cum aqua coquitur, et lacte diluitur; tardius jusculum carnis non salitum, quod in progressu cum oryza, hordeo decorticato, polygono fagopyro, salep, vel sago paratur; vel gelatina animalis, ova recentia, aut ubi nisus in diarrhoeam adest, vitellus ovi cum pauxillo cinnamomi. — Quodsi infans jam masticare didicerit, etiam carnes tenerae, olea recentia porrigantur, fructus vero horni, nisi cocti, caute vitentur, etiam cibi lactei non omnibus conveniunt. Interea adultioribus valde conducere solet pulvis glandium quercus tostorum, qui forma coffeae, initio semel deinde bis de die exhibetur. — Pro potu junioribus aqua saccharata cum vitello ovi, adultioribus optimum est aqua pura, debilibus autem dosi parva cerevisia bona vel vinum aqua dilutum. Multum sitientibus, inque diarrhoeam pronis loco aquae commendari potest decoctum oryzae leniter tostae, vel decoctum Salep vel panis bis cocti.

2. Aër purus et siccus est conditio salutis gravissima. Aeger, quodcumque temperies aëris id admittit, sub dio versetur, circumstantiisque annuentibus, urbem cum rure commutare, et nullo modo in cubili humido

aut nimis humili, sed alto, et optime meridiem versus collocato habitare satagat. Frequens ventilatio instituenda, et copiosae nimis exhalationes animales fugiendae.

2. **Mundities assidua.** Abluatur corpus quotidie aqua pura, aut Decocto furfurum cum sapone, deinde siccetur et frictio cum panno asperiore instituat — in debilioribus lotiones cum vino tepido, aut spiritu vini aqua diluto. Adminus bis de septimana balneum tepidum, nequaquam calidius adhibeatur. Haec omnia cutis, imprimis ejus vasorum lymphaticorum vitam incitare et stases lymphaticas reserare valent. — Vestitus lineus quotidie aut saltem omni altera die renovetur, utensilia inunda teneantur, lectus optime e crinibus equinis constructus inservit.

4. **Motus corporis** Ab initio parvuli saepius in aërem liberum portentur, domi nec cunis adstringantur. Motus passivus successive cum activo commutandus, imprimis diversa exercitia gymnastica, quae simul recreant, summopere ad corpus sanum, robustumque reddendum et legitime evolvendum contribuunt.

5. **Cultura intellectus** haud negligenda, sed nullatenus eam sollicitare, et praemature in detrimentum corporis accelerare fas

est. — Aequae animi directio placida prudensque fiat.

### Cura therapeutica.

Ubi diaeta sola, cujus necessitas ac utilitas summa est, non sufficit, pharmacis adhuc indigemus, ex quibus omnino roborantia maxime ad curam absolvendam faciunt, quippe quae tubi intestinalis languentes functiones ad normam et vigorem reducendo, et in specie chylicatione emendata, chylum bonum vasis lacteis, et ab his systemati lymphatico subministrando, justum quoque tonum huic quasi sponte restituant et sic toti corpori novas vires addant. Juxta haec cel. Jörg plane opinatur, atrophiam unice remediis roborantibus, illisque quae solius tubi intestinalis functiones corrigant, nequaquam autem aliis indigere, peculiariter in systema lymphaticum agentibus — in cujus asserti argumentum, modum, quo natura ipsa, scilicet per diaetam rectam morbum profligat, sibi vindicat, admittens adhuc corporis universi per lotiones, et balnea instaurationes iterum ad naturae normam, quae per evolutionis periodos, e. g. per illam pubertatis, omnis et singuli organici systematis energiam auget.

**Licet non inficias eamus, roborantia omnino primum locum mereri, simulque illa, quae ad roborantia admittenda tubum intestinalem praeparant: nihilominus praeter illud, quod jam plurima roborantia, inprimis China et ferrum, ad interiora corporis penetrent, ibique omnem processum intendant; quum scimus, glandulas lymphaticas saepissime altiori gradu obstructas et induratas esse, quomodo unquam has emollire, et aperire poterimus, nisi sic dicta solventia adhibeamus, inter quae Antimonialia, Mercurialia, Murias Barytae, Jodina etc excellunt, quae, ut scimus, vasa lymphatica peculiariter incitare, stases reserare et lympham mobilem reddere valent?**

**Hinc praeter roborantia, volatiliter stimulantia, evacuantia, acidum primarum viarum corrigentia, 2. omnino solventibus opus est, 3. ubi status inflammatorius glandularum mesaraicarum, mesenterii, tubi intestinalis; aliarumque partium adest, antiphlogisticis, et narcoticis. 4. accedit cura externa per balnea, lotiones, unguenta etc. perficienda, 5. ubi contingit hoc officium ex-  
plere posse, recta convalescentiae directio.**

**In his autem medicus ante omnia illud axioma sibi praefixum habeat, organismum infan-**

tilem pharmacis ne obruat: et efficaci quidem temperata tamen semper manu agat. Initium saepe faciendum est cum remediis evacuanti-  
 bus, ubi nempe tubus intestinalis saburra  
 acida vel rancida, vermibus, vel muco tenaci  
 oppletus sit. Adhibentur vel statim, vel post-  
 quam saburra nimis tenax, mucosa remediis  
 solventibus prius mobilis facta est, et quidem:

**Emetica:** praesertim Tartarus emeticus:  
 aut vinum stibiatum.

Sordibus copiosis et viscidis accumulatis,  
 Hufeland sequentem formulam commendat:

Rp. Tart. emet. gr. 1—2.

Pulv. rad. Ipecac. scr. semis — 1.

Oxymell. scyllit. unc. 1.

Aq. dest. unc. 1. et semis.

**Purgantia.** Maxime indicatum est Rheum,  
 teneris gr. 1., adultis gr. II.—IV. semel vel  
 bis per diem, ut alvi evacuationes tantum bi-  
 nae sequantur, aut adhibetur Tinct. Rhei aquos.  
 vel Tinct. Darelly, vel Terr. foliat. Tart. in  
 connubio plerumque cum aqua quadam aroma-  
 tica, et si convenit, cum extractis amaris mox  
 adducendis

A catharticis salinis, quae facile diarrhoe-  
 am debilitantem producant, libenter abstine-  
 mus. Vermibus praesentibus pulveri Rhei ad-  
 dimus Calom. gr. semis. Statu intestinorum  
 torpidiori existente, Jalappam cum Calomela,



sed caute administramus, ne inflammatio, in quam tubus intestinalis, et glandulae meseraicae jam pronissimae sunt, provocetur.

Ubi adest saburra acida, plerumque cum statu irritativo conjuncta, ab initio emollientia dein absorbentia dosi parva indicata sunt, praecipue Carbonas Magn. vel Magn. usta, alia quoque alcalina, ut lapides cancr. Sal. Tart. bicarb. sodae. Remedia solventia, quae, ut diximus, vasa lymphatica peculiariter incitant, lympham ipsam corrigunt, omnesque se- et excretiones expediunt, modo sola, modo cum aliis remediis varia ratione combinata ordinantur. Praemittuntur mitiora, ut rad. Tarax. Gram. Cichor. vel in decocto vel eorum extracta, vel quod adhuc praestat, succi recenter expressi harum aliarumque plantarum, quales sunt: Marrubium album, Lactuca, Fumaria, Chaerifolium, Sonchus oleraceus, vernali tempore propinantur. Aquarum soteriarum usus valde proficuus. Dein sal ammon., sapo, gummiresinae, et similia hujus loci sunt — efficacissima autem Antimonialia, Antim. crudum, vin. stibiat; sulf. aur. ant.; praeparata Hydrargyri mitiora: Aeth. antin. vel miner. Merc. dulc. praecipue sub forma pulv. Plum. cum sulf. aur. antim. aut cum Cicuta junctus; Murias Barytae in solutione; tandem Jodinae tinctura ad paucas pro dosi guttas.

Inter stimulantia, et roborantia, quae plerumque in connubio praescribuntur, iterum mitiora ab initio seligimus, a quibus per unam, alteramve septimanam adhibitis ad fortiora transimus, aequo certo ordine ac tempore usurpanda. Hoc scopo ordinamus alicujus extracti, nempe Tarax. vel Fumar. Saponar. Cent. min. Card. bened. Trif. fibr. cort. Aurant. Cascar. Gentian. gr. ʒi. — scr. semis in infuso flor. Chamom. vel Menth. crisp. Meliss. vel rad. Acori Unciis ʒi, unde omni bihorio duo cochl. coff. sumantur, quibus non raro propter alvi constipationem Tinct. Rhei aquos. aut vinos. aut liqu. Terrae fol. Tart. dr. ʒi. — ʒi. aut ubi torpor tubi intestinalis insignis est, liquoris cornu cervi, sive Tinct. cort. Aurant. a scr. semis ad dr. semis addimus. Praesente torpore etiam valde laudantur flores Arnicae, cujus scr. semis aquae unc. uni et semis infundimus, unde 2 cochl. coff. semel, aut aliquoties per diem ab infantibus 1—5 annorum hauriantur. —

A Frank et Goelis extollitur pulvis sic dictus anti-atrophicus, seu anti-hecticus, consistens ex pulv. bacc. Laur. nucis Moschat. et cornu cervi partibus anaticis cum duplo pulv. Liqu. mixtus, M. et V. apice cultri exhibetur.

Egregia demum vi pollent China, et ferrum, dum organa iisdem suscipiendis idonea sunt, quae optime sub fine curae in usum trahuntur. Ex ferri praeparatis eminent flores salis ammon. mat-

tiales ad gr. semis cum Elaeosacch. Foenic. vel Macis. Ab Anglis carbonas ferri, ab Autenrieth et Hufeland Murias ferri commendatur.

Si accesserit inflammatio nimis fatalis glandularum mesaraicarum, aut aliorum viscerum, quantum possumus, eam resolvere nitimur per hirudines, numero moderato apponendas; interne emollientia, externe quoque clysteres, et cataplasmata emollientia, balneum tepidum ordinamus. Perdurante inflammatione narcotica indicata sunt, Hyoscyam. Digit. purp. Dulcam. inprimis Cicuta cum Calomela, etiam aqua Laurocer. Opium solum, vel cum Calomela.

Momentosissima est alia pars therapeutica, nempe Cura externa. Huic inserviunt:

Balnea. Ab initio indicata sunt illa ex infusis herbarum aromaticarum ut Calami arom. Caryophyllatae, flor. Chamom. Menthae piper. Salviae, Thymi, Major., Pulegii. Tardius roborantia cum cortice quercus, Salvia, cum ipsa China parata; tandem martialia. — Praestant quoque balnea marina, et nostratia muriatica. Alias balnea solventia ex sapone — hepate sulfuris, et ipsa cicuta confecta. Sub debilitate majore, ex maltho, et impedita digestionem, gelatinosa.

Lotiones, fomenta, cataplasmata, unguenta, et emplastra diversa vario modo composita. Inter unguenta adducimus:

linimentum volatile, unguent. Hydrarg. ciner.,  
Jod., Digit. purp., Cicut., Hyoscyam., fellis  
tauri cum sale culinari et oleo nucum juglan-  
dum, et illud H u f e l a n d i i sequenti formula:

Rp. Ungu. Alth. Unc. 1.

Fell. tauri. rec.

Sopon. venet. aa dr. 111.

Petrolei dr. 11.

Sal. volat. C. Cervi dr. semis

Camphor. dr. 1.

M. f. linimentum.

Huic, ubi vermes adsunt, olei Tanaceti  
dr. semis adjungimus. —

Stadium convalescentiae, dum  
illud regere nobis succedit, requirit dietam  
nutrientem, et regimen diu continuandum,  
balnea plerumque roborantia, internumque to-  
nicorum usum.

---

## Theses defendendae.

11

1. Atrophia infantum est forma mali scrophulosi.
2. Omnis morbus substratum habet materiale.
3. Plurimi morbi in systemate ganglioso radicem figunt.
4. Plerumque non una, sed plures causae, tam praedisponentes, quam excitantas, morbos gignunt; qui
5. eapropter saepissime complicati existunt.
6. Diatheses summum medicorum studium merentur.
7. Pharmacorum efficacia, non abundantia desideratur.
8. Morbi syphilitici restrictio singulari omnium civitatum respectu digna.
9. Ignorantia fertilissima morborum causa.
10. Incubatio non unice contagiosis malis competit.

---

11. Temperamentorum ab humoribus petita  
denominatio inepta est.

12. Oxyda plumbi et Hydrargyri oppositam  
habent actionem.

13. A repletionē quicunque fiunt morbi, eva-  
cuationē sanantur, et quicunque ab eva-  
cuatione, repletionē; sicque aliorum con-  
trarietates.

u. l. a.

Hippocr.

14. Homoeopathia non est adeo innocua, ut  
vulgo putant.

